



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 28. in incredulos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

## PHILIPPICA XXVIII.

In incredulos.

DOMINICA I. POST PASCHA.

*Nolli esse incredulus. Ioannis 20. v. 29.*

S. I.  
Vera fides  
est maxi-  
mum ho-  
minum so-  
latium.

**F**ides Romano-catholica per mille sexcētos años nunquā non impugnata, expugnata nunquam incrementa cum persecutionibus sumpsit, atque à persecutionibus suis laudes commendationesque maximas reportavit. testatur gentilis Seneca lib. 10. ep. christianos sanctissimè vivere, & hoc solum in eis reprehendi posse, quòd nimis facile pro Deo suo vitam profundant. testatur ex circumcisis Mahometes in Alcoran. lib. contra Arabes: Christiani si in Deum crediderint, & iudicij diem expectantes benefecerint, nihil timeant. testatur ex A catholicis Lutherus: *dico sub papatu veram esse christianitatem, imò verum nucleum christianitatis.* Conclamatum contra Christianos erat in circo Romano præsentè Maximiano Anno 301. quando duodecies vox insonuit: *christiani tollantur!* deciesque repetita est barbara Echo: *Auguste Christiani non sint!* at verò post annos viginti tres, videlicet 324., cum Constantinus declamaret coram Magistratu Romano & exercitu suo pro christianorum incolumitate, acclamârunt identidem christiani: *Qui christum negat, malè pereat. unus Deus christianorum. qui Christum non colunt, inimici Augustorum sunt. qui Augustum salvavit, ipse est Deus. qui Christum colit, semper vivat. Tempa claudan-*

*tur & Ecclesie pateant. Sacerdotes templorum urbe pellantur. jubete ut hodie urbe pellantur.* Fides nostra non potest non esse vera, quia nititur veracitate Dei revelantis, revelationes verò ipsas tot signis habet firmatas, ut pro miraculo ignorantiae aut malitiæ haberi debeat, qui dubitare præsumit, *tene-mur in Ecclesia vinculis miraculorum,* inquit Sanct. Augustinus in ep. fund. c. 4. & quamvis præterita tot tantæque sint, ut dicat idem Augustinus lib. 22. de civit. cap. 8. *quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquit, magnum ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* & c. 5. eodem lib. *qui ergò se opponit, monstrum est;* continuat nihilominus sua Deus per annos singulos beneficia, ut nullus sit annus quo indubitatis testibus multa & magna in varijs locis prodigia non patrentur. Nihilominus plurimos hodièque videre est inter catholicos, qui ad eò modicâ fide præditi sunt, ut vix credibile esse videatur, credere fideliter eos prima fidei mysteria. tam impudenter enim peccant, acsi Deus præsens non esset, nec plus peccaturi forent, si Deus non esset, ità bonis alienis inhiant, & malè parta observant, acsi vindicativa in Deo iustitia non esset; verbo: ità vivunt acsi nulla post hanc mortalem superesset vita, nullus infernus, nulla æternitas, & quamvis ore non dicant Thomæ illud, *nisi videro non credam.*

COR-

corde tamen & opere ita loquuntur, suntque incredulo Thomâ trecenties magis increduli. Contra quos, si severius hodie egero, nihil à genio Domini mei agam alienum, ipse enim in anastasi sua Emanuatinos discipulos tanquam tardos corde ad credendum reprehendit, & in ascensione sua Apostolos redarguit velut duos corde, quòd ijs, qui dominum resurgentem viderant, fidem negarint: *Exprobravit incrudelitatem eorum & duritiam cordis.* Exprobrabo & ego multorum in hac urbe duritiam illo mediante, qui stetit in medio.

§. 2.  
Bene non credit, qui male vivit.

S. Augustinus apud Juglar. cōcio. 2. quadrag.

Eph. 4. v. 5.

Magni Augustini effatum est: *difficile est, ut male vivat, qui bene credit.* qualis fides talis vita, ideo immaculata Deiparæ vita, quia fides integerrima. *beata quæ credidisti* ob fidem potiùs quàm virginitatem cæterasque virtutes dilaudatur, quia fides cæterarum fuit fundamentum; ideo Abraham perfectus, Job inculpatus, Noë iustus, Joseph castus, cæteri que patriarchæ, quia fideles inventi sunt, & patres fidei appellari meruerunt. *Difficile est, ut male vivat, qui bene credit.* ad fidei præsentiam omnis ab animo desperatio, omnis prævaricatio eliminatur, ait Basilius Seleucus orat. 22. si ergo quempiam videam desperationi vel alteri vitio obnoxium, quomodo credam illum bene credere? ore credit, non corde, non opere & veritate. Sunt nonnulli etiam in hac urbe, qui fidem alternant, sicut Constantius Imperator postulare à Romano Pontifice ausus, duplicem ut permetteret fidem, in oriente alteram, alteram in occidente; reclamet licet Apostolus: *unus Dominus una fides.* alternant fidem, qui alij sunt in templo, alij in popina, alij in hebdomada sancta, alij in paschate, alij in templo, alij in foro, alij cum orthodoxis,

alij cum heterodoxis simillimi Samaritanis, qui judæorum profitebantur Religionem, quando feliciter cum judæis agebatur, sicut actum est sub Alexandro Magno, judæorum amico & fautore, ut testatur Josephus l. ii. antiq. c. ult. si verò adversa eosdem impeteret fortuna, prout sub Antiocho Epiphane jurato judæorum hoste, ut describit Josephus c. 12. accidit, ritus gentium pronissimi sequabantur, ideòque exosi Deo & hominibus calamitatibus plurimis exerciti & extirpati sunt; emolumentum enim temporale, quod cum mutata religione affectabant, affectu non sunt, salute verò æternâ penitus exciderunt. Samaritanorum pœnas luent omnes ij, qui quamdiu in urbe hac degunt, catholici haberi volunt, cum verò negotiorum aut otij causâ in vicina hæreticorum oppida ac urbes defleunt; ululant cum lupis, vorant carnes cum Catholicis, religiosos plusquam ipsimet catholicomastiges cavillantur, conciones hæreticorum audiunt, libros legunt, cantilenas, preces, ritusque deprædicant, de quibus optimè pronuntiaveris dicendo: Samaritani estis vos & dæmonium habetis, straminea vestra fides est, & perfidiâ hæreticâ prævior, videmus namque hæreticos, cum templum istud curiositatis aut joci gratiâ adeunt, ritibus nostris non communicare, elevatis manibus flexisque poplitibus minimè orare, cruce se nequaquam signare, nè ejusdem nobiscum fidei esse videantur; vos verò templa eorum adeundo conciones laudando, convescendo cibis vetitis satis superque ostenditis fidem vestram esse perfidiam, hypocrisin, apostasiam, & flagitiorum omnium sentinam. Quid de politicis dicam, qui inter ipsos catholicos trāsformantur in lucis

Incis angelos, sed incarnati dæmones sunt, tenebrarum principes, cæcorum duces, pavimentum gehennæ. hi quidem primi sunt in templis, ultimi ex templis, sed insensibiles sunt ad synceram contritionem, satisfactionem & morum mutationem, in secreto pœnitentiæ muti, in conscientia sua cæci, ad eleemosynas ex proprio peculio faciendas manci, ad omnem solidam virtutem paralytici, prodigijs tam parùm moventur, quàm signis in morte Christi patris Pharisei, Deum tanti faciunt, quanti Judas, pietatem accurant, sicut Herodes, ut *Ego veniens adorem eum*, nomen habent, quòd vivant, & mortui sunt, infidelibus deteriores, dæmonibus execrabiliores, quia dæmones credunt, & contremiscunt.

§. 3.  
Infidelitas  
antonio-  
mallicè  
peccatum.

Infidelitatem tantopere excrucatur Dominus, ut eam solam vocet peccatum tanquam radicem omnium scelerum: *cùm venerit paracletus arguet mundum de peccato*. Ioann. 16. v. 8. quod putas peccatum est, de quo increpanda judæa & orbis totus? *quia non crediderunt in me*, v. 9. ecce defectum fidei peccatum peccatorum maximum. Sicut emortuâ arbore desperatus est fructus, ita deficiente fide omnia perditæ sunt, ut Chrysofostomus homil. 77. & Augustinus tract. 95. in Ioann. prædicta Christi verba exponunt, tã grande peccatum est incredulitas, ut processu judiciali opus non sit, sicut in enormibus & notorijs delictis esse non solet, ait enim Christus; *qui non credit, jam iudicatus est* Ioann. 3. v. 18. magnum ergò nebulonem esse oportet, quisquis incredulus est.

§. 4.  
Militorum  
fides inu-  
tilis.

Mira illa Salvatoris est quæstio, quâ fidelium, non dico paucitatem, sed omnimodum defectum insinuat: *filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* Luc. 18. v. 8. ð

Domine quid hoc verborum? si hodie venires, an non tria & supra milia fidelium in hoc templo invenires, & quidem plerosque pro te & fide tua hâc horâ mori paratos, quomodo ergo fidem à te non repriendam dicitis? respondet pro Christo Augustinus, fidem quidem inveniri, sed fidem inutilem, fidem mortuam: *fides juxta apostolum sine charitate esse potest, prodesse non potest* S. Augustinus lib. 15. c. 18. de Trinit. habent radicem sinè trunco, arborem sinè folijs atque fructibus, habent lampadem sinè oleo, habent gladium & clavam (sicut Hercules clavâ dimisisse nūquam dicitur) sed absq; usu, habent navim sinè velo, bombardam sinè pulvere pyrio, corpus sinè anima, instrumenta artis sinè arte, medicinam, libros, vestes sinè usu. *Ille verò credit, qui exercet operando, quod credit* S. Augustinus hom. 26. in Evang. quæ est in hodiernam Dominic. *Credis Iesum pro peccatis tuis mortuū esse? ergo noli amplius peccare, nè frustra pro te mortuus sit, credis quodlibet peccatum dignum esse æternaturis supplicijs? ergo fuge peccatum, sicut à facie colubri. cur fugis pestem, ignem, rabidum canem? quia credis noxia esse, etsi expertus nondum damnus sis; cur ergò eadē sagacitate non fugis occasionem peccandi, ipsūque peccatum, à quo toties expertus es lancinatum te esse & inferni dolores prægustâsse? ille verè credit, qui exercet operando, quod credit.* Gregorio Pontifici Maximo consonat Clarævallensis Abbas serm. 2. de octava paschæ: *putasne illum in Christum credere, quisquis ille est, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consilijs acquiescit? nõne is, etsi fateatur se Deum nõsse, factis negat? pœnâ eò gravio-*

v

ri

ri dignus, quò majorem Regi nostro contemptum intulit, quem Regem esse agnovit. Si cognovissent judæi, Regem gloriæ non crucifixissent; pejor ergo judæis est, qui agnoscit & adhuc crucifigit. Si viva fides foret, diceres: nolo peccare, nè denuò crucifigam Iesum meum. nolo peccare, quia credo præsentem mihi esse Deum immensum, justum, sanctum, cui omne peccatum infinitè displicet, nec potest permittere impunitum. Si vera & viva fides esset, viso paupere diceres: credo Christo dari quidquid datur egeno & accipere mercedem prophetæ, qui dat in nomine Prophetæ. ergò: dabo dices in adversitate: credo quòd momentaneum tribulationis nostræ pondus immensum & æternum gloriæ operetur, ergò patiar. dices, cum tentaris respectu humano ad omittendum bonum: credo quòd humanus respectus sit Dei despectus, & Christi servum non esse, qui hominibus placet. valeat ergò respectus, fiat quod amat Deus. hæc est fides viva, sic justus meus ex fide vivit, & vivat, utinam vivat nunc & semper, Amen.

§. 5.  
Nec mortuis redi-  
vivi creditur.

Sicut autem justus ex fide vivit, ita ex perfidia injustus perit. Notissima est historia ex speculo Exemplorum (tit. Confessio exempl. 26. apud Ioann. Major §. 1.) de principe scelestissimo qui nec Deum, nec homines curabat jactitans perpetuò illud: nisi videro infernum, non credam, terriculamenta sunt Sacerdotum, ut timeantur. talia jactitabat princeps ille conjuge sanctâ frustra dehortante & meliora svadente. contigit autem improvisâ illum morte defungi strangulatum à dæmone, de cujus statu cum rescire optaret uxor, vidit repente cadaver in titionem mutari, & è manibus prodire schedam, in qua

exaratum erat: *jam scio, quòd infernus sit.* ò infelix experiètia, cui nulla super est indulgètia, nullû auspiciû salutis! ò incredibilis humanæ mentis contumacia, quæ nec prodigijs flecti, nec mortuorû resuscitatione commoveri, nec signis in excelsum suprâ, sive in inferno deorsum perversaderi potest, ut à perversis suis propositis vel latum unguem deflectat. Petierat damnatus epulo, ut defunctorum aliquis mitteretur ad superstites ejus fratres, & futuræ vitæ annuntiaret supplicia, nè & ipsi in locum tormentorum præcipitarentur, & crescente damnatorum numero velut titionibus novis superinjectis gehennale incendium augetur, cujus postulato Abraham ex Dei consilio respondit: *habent Moysen & prophetas audiant illos*, habent libros, bibliothecas integras, legant illos, habent concionatores & adhortatores, accedant illos, vivi vivi credant, cur mortuos vivi requirunt? at replicat epulo quasi melius rem perciperet: *non, Pater Abraham, sed si quis ex mortuis lerit ad eos, pœnitentiam agent.* Venit mortuus & prædicavit, an pœnitentiam egerunt? audiamus elegantissimè ratiocinantem Chrysologum ser. 66. *sicut dives petiit, Deus Lazarum pro Lazaro misit, fratrem videlicet Mart hæ, quem quatrduanum ex monumento Iesus fuscitavit, sed quid missus, quid desideratus, quid resurgens profecit? patienter audite. cogita verunt & Lazarum interficere. nolunt visa referri, qui volunt audita non credi.*

Luc. 16. v.  
29.

Posteaquam Christus dixisset  
Luc. 18. v. 1. *quoniam oportet semper orare*, & efficaciam orationis docuisset in parabola judicis, qui nec Deum timebat, nec homines reverbatur, viduæ nihilominus causam dicere, eamque de inimicis vindicare

§. 6.  
Efficacissimum medium impetrandæ vivæ fidei est oratio.

care decrevit propter illius importunitatem subjungit: *Filius hominis veniens putas fidem inveniet in terra?* quod erat dicere: ut fides non desit oratio non desit. Sermoni de oratione sermonem de fide conjunxit, ait Theophylactus apud Cornelium, qui omnis orationis basis & fundamentum est fides. declarans in super paucorum fore tunc orare, quoniam fides in paucis invenietur. Elegantiùs Divus Augustinus tract. 36. de verbis Domini, quicum finio: ergo ut oremus, credamus, & ut ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Et

enim nē in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: *vigilate & orate, nē intretis in tentationem. Quid est in tentationem intrare, nisi à fide exire? in tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit. & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* hæc Augustinus, oremus ergo ut credamus, credamus autem vivaciter, ut eò efficacius oremus.

\* \* \*  
\* \*  
\*



# PHILIPPICA XXIX.

In cornupetas hircos.

DOMINICA II. POST PASCHA.

*Cognosco oves meas. Ioannis 10. v. 14.*

§.1.  
Nullum animal fidius homini, quàm ovis.



Aristoteles lib. 6. animal. c. 19. censet hominem vix alteri animali comparari rectius posse, quàm ovi, homo enim sicut

ovis inermis nascitur, iisdem morbis quibus ovis infestatur, vitam brevem sicut ovis sortitur, facile sicut ovis à recto deviat & exerrat, denique eodem ferè modo sicut ovis regitur. Aristotelis sententiam incarnata confirmat Sapiencia, dum electos suos ovibus, se Pastori in hodierno comparat Evangelio. At multi in ovili Christi sunt, qui malunt hædi esse, quàm oves. hædorum mores exprimunt, & vitam vivunt, etsi non ignorent, hædos à sinistris iudicij die constituros, atque in æternæ macellum mortis cogendos; oves verò ad æterna

pasqua deducendas. Nolo innumerandis hædorum proprietatibus prolixus esse, cornu duntaxat arripiam, insanos vindictæ impetus impetam, & in nomine Domini hoc cornu ventilabo.

Hædi ad consciscandū & pugnantium animantibus cæteris propensiores symbolum eorum hominum referunt, qui in litibus vivunt, in rancore, in vindictæ appetitu etiam animam agunt; etsi milies dicant se ignoscere, & offensam omnem penitens delere, verba sunt, fuci sunt, sit verbo venia, hircis omnibus olentiora menda sunt. tam difficulter sua ponent odia, quàm hædi cornua, siquidem totam suam gloriam, quietem, vitam in eo reponunt, ut ultionem fumant, & mortem adversario sic inferant, ut sentiat se mori. vide pilosum Esau Gen.

§.2.  
Hædi symbolum sūt cupiditatis & vindictæ.